

~~M. b. 286a~~  
nicht vorlesbar  
nicht PK

o. Riesius Joh.

mebt 21 - 40)

(No. 31 enthält  
allein 20 Artikeln.)

2 mit Widmung  
an Rudolph.



38

DISPUTATIO THERA-  
PEVTICA

De

Me 286a

# VENÆ SECTIONE.

Seu de

LEGITIMIS SANGVINIS  
EX VENA MITTENDI  
SCOPIS.

Quam

Sub auspicijs

Dei ter Opt: Max.

In Illustri Academia

Francofurtana

PRÆSIDE

HENNINGO ARNISÆO

MED. D. & PP.

Publicè tuendam suscipit

Die 16. Februar.

MARTINUS GOSKY

L. Silesius.

In auditorio Philosophorum majori  
mane hora 7.

---

Typis Nicolai Voltzij exscripta  
ANNO 1611.



# VIRIS

Nobilissimis, Clarissimis, Excellentissimis,  
doctrina & longo rerum usu  
celeberrimis

D. IOHANNI MENCELIO.  
D. BALTHASARI CARISIO.

&

D. IOHANNI MYLIO.  
D. ABRAHAMO MACHFRADIO

Jllis

Reipubl. Glogov.

His

Reipubl. Lignic.

Philosophis ac Medicis Doctoribus  
ordinarijs solertissimis.

Nec Non

Viro Clarissimo, Consultissimo

D. IOHANNI BREITHORIO

J. C. & Poëta Nobili, Curiæ Regiæ  
Glogov. ab Ep. &c.

D. Patronis & Promotoribus suis & affini omni reveren-  
tiæ & observantiaæ cultu æternū.  
honorand.

Themata hac Medica publica.

D. D. D.

Respondens.

## THESES I.



Rasistratus olim, proximi-  
qvè ejus ætati discipuli, si Galeno  
credimus in utroq; contra Erasist. &  
Erasistratæ libro, qvorum vomitus  
hodiè resorbent nonnulli, qui  
sub nomine Paracelsicorum &  
prætextu nunquam satis lauda-  
tæ Chymiae à dogmaticorum  
scholis, secessionem faciūt, Ve-  
næ sectionem partim prorsus

damnabant, frigidis quibusdam ratiunculis moti, quas e-  
narrat Gal. cont. Erasist. c. 2. partim non nisi parcissimè & su-  
perstitiosè adhibebant, quibus è contrario sese constituunt  
ex recentioribus quidam, in omni magno periculo, vel præ-  
sente, vel imminentे, venam sine discriminе tundentes,  
quemadmodum trimulis pueris, astmaticis tabidis, quo-  
vis gravi dolore, in quacunq; parte, quacunq; de causa op-  
pressis, Parisijs sanguinem mitti conspeximus.

2. Cum autem utrosq; aberrare certum sit, & *Capitā dispu-*  
*generofis præsidijs non liceat uti, nisi cum præsentaneo pe-*  
*riculo, si citra methodum, aut cum præsentaneo commo-*  
*do, si ex præscripto artis adhibeantur, ut qvæ de sanguinis*  
*missione Medico tradenda censet Gal. de rat. cur. per sing. miss.*  
*c. 1. ordine & diligenter explicemus, duo nobis tractanda*  
*proponemus: Inventionem ejus artificiosam, sive Metho-*  
*dicam, & legitimam administrationem, memores præcepti*  
*Galenici: Maximam partem curationis confistere in reme-*  
*diorum inventione, & recta eorundem administratione,*  
*Inventionem quidem hac disquisitione absolvemus: admi-*  
*nistrationem aliò reservaturi.*

3. Invenire autem Methodo nihil aliud est,  
quàm per indicationes ab indicantibus procedere ad indi-  
cata, cui opponit Galenus inventionem per experientiam  
solam, occultis morbis, quiq; sint à tota substantia, pro-

A 2 priam

**usus** priam 6. de simpl. med. fac. c. 1. lib. 9. c. 8. lib. 11. c. 30. 13. Meth. c. 6.  
**Vene sectionis.** Cum autem, ut alia medicamenta, ita & venæ sectio adhi-  
**per accidens.** beatur aut per se, aut propter aliud & per accidens, de sco-  
pis ejus hic considerandum, à quibus indicatur effectus  
ejus per se, non per accidens. Nam in febribus putridis a-  
perimus interdum venam propter refrigerationem & even-  
tilationem putrescentis humoris: aut quia deobstruere non  
licet, sanguinis copia non imminuta: 8. Method. c. 4. in prin-  
cipio morbi, crudo adhuc existente humore, ex præscripto  
Hippcr. 2. Aphor. 29. sanguinem mittimus, ut natura, ratio-  
nem assignante Galeno *ibid.* & 8. Meth. c. 4. in progressu resi-  
duum melius coneoquat. Quin etiam ligni potionem, aut  
alia calida medicamenta propinaturi, prius evacuamus san-  
guinem, qui non redundabat, ne sc. incendatur. Sic in ni-  
mia hæmorrhagia, ut revellamus à parte lœsa, quando miti-  
ora revulsoria nihil prosunt; aperta vena sanguinem, jam  
præter modum effusum, evacuamus, 3. in 1. Porrh. 53. nulla  
Methodo ad id induci, sed necessitate coacti. Verum in  
omni consideratione, quod per se intenditur, separandum  
ab eo, quod per accidens.

4. Per se autem, dum venam aperimus, inten-  
dimus sanguinem evacuare, adeò, ut hinc statim pateat, si-  
ne sanguinis redundantia, evacuationem exigente, venam  
aperiri nunquam debere, quod pluribus in locis indicat  
Galenus de const. art. c. 19. 6. Aph. com. 47. 4. Meth. c. 6. 13. Meth.  
c. ult. de cur. rat. per sang. mis. c. 3. 4. 7. & ubiqunq; alias docet,  
si humorum aliquis qualitate peccet, purgatione, si sanguis  
**Vene sectio e-** quantitate, phlebotomia opus esse. Ex naturâ enim indi-  
**vacuat san-** cantum & indicatorum illud necessariò infertur, quia,  
**ginem quan-** cum mutuò sibi opponantur, quandoquidem propriè lo-  
**tate peccan-** quendo, contraria tantum currentur contrarijs, evaca-  
tem. tio non potest ab alio indicari, quām quod redundat & su-  
perfluit.

5. Ideoq; vene sectio nequit accenseri reme-  
dijs curativis, sed præservativis, quia respicit causam, videli-  
cer.

cet sanguinem, nec ab affectu indicatur, quia morbi tan-  
tum indicant contraria, calidi frigida, superficies exaspera- *Venæ sectio*  
ta levigantia, soluta continuitas consolidantia, &c. Verum est remedium  
venæ sectio morbi nulli generi adversatur, & proinde nec à præservativū.  
morbo, quatenus tali requiritur, imò ne quidem à magni-  
tudine ejus, nisi & magnitudinem remedij ab ipso remedio  
distingvamus, quod diligenter faciendum est, ut quæ Ga-  
lenus 4. Meth. c. 6. in pr. ex Hipp. tex. 19. lib. 4. de rat. vict. in acut.  
solerter & accurate explicat, dextrè intelligamus. Magnus  
enim morbus, quantum ex sua natura, nihil indicat, nisi  
magnum remedium, seu ut ait Hipp. i. Aph. 6. Εἰς τὰ ἔχατα  
προματά, οἱ ἔχαται θεραπεῖαι εἰσ ἀριθμένη, καὶ πάλισσαι.

6. Interim Galenus de cur. rat. per ven. sect. c. 13.  
morbi magnitudinem cum virium robore, primos mitten-  
di sanguinis scopos statuit, quod repetit com. 4. de vict. rat. Dubia Galenī  
tex. 19. ubi ex autoritate Hippocr. addit ætatem florentem, sententia.  
& in fi. aëris qualitatem, ut & ii. Meth. c. 14. In 4. autem Meth.  
c. 6. ait: *Si valens morbus fit cum virium robore, nemo est, qui san-*  
*guinem non mittat, qui utiq; in artis operibus sit exercitatus.* Imò  
& in hoc loco & c. 8. de rat. cur. per ven. sect. citra plenitudi-  
nem demonstrat venam secandam esse, initio Phlegmones,  
quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilita-  
tem provenit: quibus verbis tria asserit apprimè dubia, &  
ijs, quæ proponere cepimus, non obscurè contraria, tūm  
quod magnitudinem morbi inter scopos venæ sectionis  
primo loco numeret, & horum incertum proponat nume-  
rum, cum unius non sit nisi una indicatio, sicut ubiq; asse-  
rit, 2. Meth. 13. 9. Meth. 12. & in libr. de opt. sect. ad Thrasyb. pro-  
bat ex eo, quoniam unum tantum uni adversatur, tūm etiā  
quod absq; sanguinis redundantia sanguinem mitti velit,  
quod fieri non posse supra, tanquam principium, præsup-  
posuimus.

7. Ut autem hæc ordine declaremus & verum *Vacuatio non*  
*scopum venæ secandæ inveniamus, prænotandum ex Gal. indicatur nisi*  
*ii. Meth. 13. vacuationem indicari à multitudine:* Item, *Omni- à plenitudine.*

um vacuationum unam communem intentionem & scopum esse bumo-  
rem superabundantem, ut idem ait 4. Aph. com. 2. Evacuatio  
autem, cum sit genus phlebotomiæ, purgationis, inediæ,  
&c. ubi non indicatur, ibi nec specierum aliqua indicari  
potest: sed tamen specierum oportet esse specialiores indi-  
cationes, quia ut generale non indicat, nisi generaliter, ita  
determinatis indicatis opus est indicantibus ejusdē ordinis  
& proportionis. Sic enim ipse Galen. i. Aph. 23. 4. rat. vīct.  
tex. 29. etiam si præsupponat magnum morbum cum viri-  
um robore, distingui tamen vult, utrum pharmaco opus sit,  
vel sanguinis missione, cujus distinctionis causas aperit 4.  
de san. tuend. c. 4. 4. de rat. vīct. tex. III. &c passim alibi, quando  
purgandum monet, si humor qualitate peccet, mittendum  
sanguinem, si quantitate.

Magnus mor-  
bus determi-  
nat vacuatio-  
nem advene-  
sectionem.

8. Utrobiq; autem præsupponitur magnus mor-  
bus, quia magnitudo morbi determinat speciem evacuati-  
onis, sicut eleganter explicat Galen. 4. Meth. 6. Non statim,  
inquit, si quis sanus adhuc, in plethora constitutus fit, sanguinem mitti  
fas est. Alij satis facit inedia, alijs cibi parcitas, alijs purgatio, vel fre-  
quens balneum; alijs sola exercitatio, vel multa frictio abundè fuit.  
Quod etiam Hippocr. dicit 6. Epid. tex. 44. Impedit venæ se-  
ctionem dolor lateris, quando cruenta spuunt, ita interpretatur Ga-  
len. Quando ex dolore lateris sanguis screatur, mitissimum appareat  
morbus esse, in quo valido præsidio non utendum. Cum enim ma-  
gnus morbus indigeat magno remedio, quale quidem est  
purgatio & venæ sectio, utraq; determinatè ab illo indica-  
tur, modò ex humoris peccato prius distinctum sit, utrum  
purgandum, vel vena aperienda. Velle enim in quovis ma-  
gno morbo, quod Medicis passim in ore est, & à quibusdam  
etiam non sine ægrorum præsentaneo periculo in praxi ob-  
servatur, ad venæ sectionem sine discrimine confugere, ni-  
hil aliud est, quam remedij generosi abusu miseros ægrotos  
à minori malo agere in deterius, & ex fumo præcipitare  
in ignem.

Quod

9. Quod enim Celsus ait: libr. 3. c. 27. Si omnia  
membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit vel In apopl. hy-  
liberat: id ita se habere ex praedictis intelligitur. Si enim, drope an secari  
ex sanguinis redundantia excitata sit obstructio, aut afflu- da venas.  
xus inde timeatur, cum emolumento aperitur vena: si-  
cum praesenti periculo, quia natura causae reclamat, etiam-  
si magnus morbus sit. Tympaniam & Ascitem magnos  
morbos esse, nemo negaverit: At hos, inquit Galen. 4. de-  
rat. vici. tex. iii. nemo per sanguinis missionem curare ausus est. So-  
la enim illa species, quam anasarca vocant, dum incipit interdum san-  
guinis missionem requirit, cum scilicet ex suppressis haemorrhoidibus  
aut menstruis purgationibus, aut alia re qua piacit, quae repletionis cau-  
sam afferat, inceperit.

10. Pestilentes & magnas febres non tantum  
inter magnos sed maximos reponendas morbos magnitudo  
symptomatum suadet, delirium, cardialgia, syncope, alvi  
fluores colliquativi, & quod post primum statim diem vi-  
res ita destruant, ut vel ex hac unica de causa multi recen-  
tiorum venae sectionem, si non ut prorsus mortiferam, ta-  
men tanquam vehementer incommodam, damnent, ob-  
quam Medicis Romanis in peste vires statim destruente, ab  
ea jure abstinuisse scribit Galen. de cib. bon. & mal. succ. c. i.  
absq; quo licet fuerit, & vires in morbo tam maligno sibi  
constare possint, nec ex commotione humorum, inquina-  
mentū intimius in viscera rapiatur, quamquā non aliter fa-  
cilius homines contagio infici videmus, quam commoto ex  
metu sanguine: Tamen ex peste, quatenus tali, ad aperien-  
dam venam indicatio nulla praebetur, cum venenum aut  
propulsionem ad circumferentiam & partes debiliores, aut  
sui expugnationem per anditota expostulet, quorum neu-  
trum venae sectio praestare potest, sed potius humorum  
commotione, virium dejectione & infecti sanguinis ad  
principium retractione malum augere.

11. Tum demum verò tolerari potest venae se-  
ctio, & pestis magnitudinem praecavere, quando sangvis  
redundat

An in peste &  
malignis fe-  
bribus, vario-  
lis &c.

redundat unā, & transpiratio ejus copiā prohibetur, quae ratio in peticulis quoq; variolis & morbillis locum habet, ubi difficultatem auget crisis, nullo valido medicamento turbanda, si legitimè à naturā instituatur, 1. Aph. 20. nisi forte natura mole humorum oppressa non videatur sustinendæ crisi sufficiens, cui à principio aliquid detrahendum censem Galen. 2. Aph. 29. 8. Method. c. 4. ut reliquæ expeditius à natura superentur, & cum commodo judicentur. Absq; humorum verò redundantia nullibi saniorum Medicorum quisquam venam aperuit in malignis. Nam Calvus & Crito, 3. Epid. 3. tex. 76. & 3. in lib. 1. tex. 26. quibus potuisse venam tundi censem Galen. ex inflammatione simul laborabant, sicut eandem excitarant Carbunculi Epidemici in Asia grassati, quorum curam auspicatur Galen. 14. Meth. c. 10. à sanguinis detractione. Aëtius ex sententia Ruffi, de pestis curatione agens lib. 5. c. 95. At his, inquit, quibus sanguis excedit, venæ sectio confert, quod totidem verbis repetit Paul. lib. 2. c. 26. & signanter Averr. lib. 7. Coll. c. 9. Phlebotomia in malignis febribus fieri non debet, nisi signa multi sanguinis appareant. Melius quippe eam institui, quando non subest alia malitia, quam ex quantitate. Brevius Avic. lib. 4. f. 1. tr. 4. c. 4. Si materia vincens fuerit sanguinea, fiat phlebotomia.

An in quavis febri putrida. 12. Idem facieundum judicium de febribus putridis, à quibus licet impendeat præceps periculum, ut prætextit Jachin. in Apol. de acut. morb. cur. tamen venæ sectio per se non indicatur, sicut presupponit Paulus, indistinctè inquiens: lib. 2. c. 18. in pr. τὰ διωάμεων ἵχυρῶν δοῦλων οὐ πεπόνι περέπονται. Φλεβοτομίαν αὐτίκα, χωρὶς ἀπελθασθῆναι κατὰ γασέρα. quò trahuntur vulgariter verba Galeni ex 8. Meth. c. 4. & 11. Meth. c. 15. in pr. quæ brevitatis studio non affero. Nam idem 1. ad Glauc. c. 13. distinguens, quibus continuis febribus oppressis vena sit secunda, sanguineos describit per ruborem, venas eminentes & turgentem superficiem corporis, ut & Celsus lib. 2. c. 10. inquiens: Ergo vehementis febris, ubi rubet corpus plenæq; vena tument, sanguinis detractionem

*detractionem requirit. Item, Omnes acuti morbi, qui modo non infirmitate, sed onere nocent. Apertissimè Avic. lib. 4. f. 1. tr. 2. c. 7. Si fuerit fortis, & illud, quod vincit, sanguis, aut cum humore, qui vincit, sanguis: tunc Phlebotomia magis convenit, & propriè cum urinā rubet, grossa non citrina, ignea, ex qua timeatur post Phlebotomiā victoria cholerae & acuitas ejus.*

13. Comprehendit autem his verbis rationem aliquam, jam à se prolatam lib. 1. f. 4. doct. 5. c. 20. quod bilis subtrahito freno effervescat, morbumq; faciat acutiorem, sicut pituita calore cum sanguine exhausto relinquitur crudior, qua de causa fortassè Mesue in Lethargo ab hoc remedio abstinuit. Ac constat ex dictis, cum Lethargus simplex originem trahat à pituita, nisi sanguis in inflammatione misceatur, ratione causæ & morbi sanguinem non mendum, nisi exuperantia sanguinis majori affluxu majus minitetur periculum. Pituita enim, ut viscidior est & crassior, ita tardius exit secta vena: De bile verò secus statuendum, quia præterea, quod tenuior sit sanguine & magis ad fluxum parata, minus quoq; à provida venarum natura retinetur. Ideoque cum tantum vel etiam plus bilis exeat quam sanguinis, nequit dici, quod bili frenum subtrahatur, sed effervescere ipsam putandum est, dum vel ab inanitis venis ex fomite suo copiosius in habitum trahitur, vel in unam partem conversa, ad vulnus venæ non delabitur. Alias febris putrida, quatenus talis, non indicat venæ sectionem, quia essentia febris requirit, calefacientia & humectantia, sicut & ipse Hippocr. ait: *Febrem frigefacente medicamento exolvere oportet. lib. de loc. in hom.* De putredine verò conceptis verbis testatur Galen. II. Meth. c. 15. quod nec ipsa, nec obstructio per sanguinis missionem curari possit.

14. Qua de causa cum non omnis magnus moribus indicet venæ sectionem, non aliter pro indicante ejus magnus morbus proponi potest, quam quatenus determinat sanguinis rebus indicat redundantiā, prout accuratè explicant præ cæteris Capivacc. nœ sectionem. in Meth. med. c. 20. In I. Aph. com. 3. febr. c. 23. Gavaslet: de in-

B

dic. curat.

dic. curat. c. 41. Augen. lib. 1. 2. 3. & 4. de miss. sang. Magnum autem morbum non intelligo tantum praesentem, sed ex Gal. de cur. rat. per sang. miss. c. 8. & Avic. lib. 1. f. 4. doct. 5. c. 20. & Averr. 3. collect. c. 4. in pr. etiam imminent, quia inter remedia præservatoria jam supra fuit relata venæ sectio. Nec aliter accipio, quod Galenus ubiq; disputat contra Empiricos 6. Meth. c. 4.. 8. Meth. c. 4. de cur. rat. per ven. sect. c. 8. 4. de vict. rat. tex. 19. Secundam interdum esse venam, licet signa plenitudinis non adsint, quām sanguinem detrahendum, qui nondum quidem partem aliquam corporis gravet, gravare autem possit, quia in fluxu est, aut à dolore calorevē trahitur.

15. Plenitudinem enim, quam magnitudini Plenitudo non morbi conjunctam, adæquatum indicans vénæ sectionis tantum uni- statuimus, non intelligimus tantum universalem, sed etiam versalis, sed & particularem, quando sanguis decumbit in cerebrum, res nes, colon, ossa, ut eam describit Galen. lib. de plenitud. c. 4. Hæc enim, si humor in parte jam firmatus fuerit, indicat vacuationem per ipsam partem, si incipiat in partem sese effundere, derivationem, si adhuc in venis à termino à quo seu principio moveatur, revulsionem; de cur. rat. per sang. miss. c. 19. in pr. quod vel ipsa nominum Etymologia insinuat, quoniam derivare nihil est aliud, quām rivulo ad latus abducere, sicut 3. Meth. 3. Galen. à podice derivat per collum uteri, & 4. Meth. 6. derivationem vocat transpositionem ad vicina. lib. 6. Ep. com. 2. tex. 7. 6. tuer. san. 12. Revellere autem nihil aliud est quām retrahere, & ad fluxionis fontem revocare, quod in principijs mörborum potissimum fieri debere de cur. rat. per ven. sect. c. 19. docuit, quando humor in fluxu & latioribus hærens venis maximè aptus est, ut retrahatur.

16. Non intendimus quidem his medijs extra Derivationis corpus evacuare, quemadmodum inter vacuationem & revulsionis distinctionem distingvit Galen. 3. in i. Porrh. 53. & de cur. rat. indicantia. per sang. miss. c. 8. etiam absentibus notis plenitudinis ab Erasistratæis numerari solitis, de plenit. c. 6. & 8. revulsionis gratia venam fecat, ut & 4. Meth. c. 6. quoniam affluxus time tur etiam

tur etiā in corpore exuccō, si dolor urgeat, aut phlegmone partem obsideat: Verum à parte laborante semper intendimus evacuare, in quem finem etiam principijs tumorum, nisi crisis, venenata causa, partis vilitas, aut aliud aliquid contraindicet, reprimientia applicamus, ut præter partis robur, materiam tenuem nondum violenter impactam in proximas venas repellendo, partem laborantem liberam & humoris vacuam reddamus, docente Galen. II. Meth. 15. 13. Meth. 6. de cur. per sang. c. 19.

17. Manet igitur & hīc constans indicatio, quam gravis plenitudo, sive parti imminens, sive eam jam obſidens, p̄t̄bet: Cæterum, si simpliciter sit evanandum, nulla specialiori indicatione amplius opus est, si verè revellendum aut derivandum, fluxum sive motum accedere oportet, qui ad hoc remedium determinet, quia idem indicatur, quod curatur, & indicatum, quale hīc est aversio, opponitur fluxui. Situs quidem partis indicat locum, per quem sit revellendum, ut in Priapismo & lingvæ vitio, quorum ille vomitoria, hoc purgantia indicat, ostendit Gal. 14. Meth. c. 8. sed ipsam revulsionem non aliunde invenimus, quam ex affluxu. 4. Meth. 6. de cur. per sang. c. 19. derivationem ex fluxu, in venas partis exonerato. 4. Meth. 6. 2. ad Glauc. 2. Unde constat errare, qui in arthridite, chiragra, & quibuscumq; humoribus paulò antè locum affectum venam secant, dum materia adhuc est in motu, nec dum constitit, quia præterquam, quod Galen. 2. ad Glauc. c. 2. & 6. 13. Meth. derivationem scribat deberi morbo inveterato, & humoribus jam inflammationem facientibus, humorem ad locum affectum tendentem, majori cum impetu eō trahunt, & affluxum incitant.

18. Postquam constat de adæquato scopo venæ sectionis, superest, ut cæteros in examen producamus, qui adduntur ab Hippocr. 4. de rat. vict. tex. 19. & 111. & utrobiq;. Galen. & 8. Meth. c. 4. II. Meth. c. 14. 4. Meth. 6. de cur. per ven. sect. c. 13. ex quibus præcipue nominatur viriū robur,

*Indicatio vi-  
talis à viribus.*

ita ut illud solum magno morbo adjiciat, c. 13. de cur. per sang.  
C. 4. Meth. 6. licet 4. de rat. vicit. tex. 19. melius esse dicat, æ-  
tatem florentem cum virium robore & magnitudine mor-  
bi unā numerare. Nec dubium est, virtutem maximè  
spectandam esse, quia vires nullum sustinent generosum  
auxilium; nisi sint validæ, &c, ut ait Celsus lib. 2. c. 10. Emo-  
ritur vis, si quæ supererat, hoc modo erepta. Multum enim spiri-  
tuum cum sanguine unā evacuatur, & cum spiritibus vir-  
tus, qua de causa Galen. 5. Meth. c. 13. mulieri Romanæ, hæ-  
moptoicæ sanguinem non ausus fuit mittere, licet morbi  
causa id exigeret, quia quatriiduum propter catharrum pro-  
pemodum sine cibo degerat.

19. Cæterum, cum virtus sit ex illorum nume-  
ro, quæ conservari, & non auferri seu curari postulant, non  
potest ullum curatorium remedium indicare, sed conser-  
vatorium, sicut 1. de rat. vicit. 44. alimenta, & non medica-  
menta, dixit indicari à virtute. Constat autem alimenta  
similia esse & nulla vincenti, aut medicamentosa qualita-  
te prædicta, 1. defac. alim. 14. 4. Aph. 13. Ergo vires, (verba sunt  
Galeni 9. Meth. 13. in pr.) unam rem semper indicabunt,  
nempè sui custodiam, ideoq; cum una res nequeat, duo si-  
mul indicare, ad indicandam venæ sectionem aliter ab  
Hippocr. & Galeno non ascissentur, nisi quatenus permit-  
tant, aut non prohibeant, quemadmodum Hippocr. ipse  
explicat 6. Epid. sect. 3. tex. 44. quando inter impedimenta  
venæ sectionis ponit tempus anni &c. quod rectè interpre-  
tatur Galenus ibid: *Nisi vires, aut anni tempus, aut ætas vetent.*  
*Et apertè de cur. per sang. miss. c. 13.* Morbi magnitudo cum virium  
robore, primi sunt mittendi sanguinis scopi: ille quidem, quæ facien-  
da sunt, indicans, hic tanquam illum haud prohibens, id quod contra-  
indicare juniorum Medicorum quidam appellant. Nonnunquam enim  
affectione mittendum sanguinem commonet, cæterum virium contra ro-  
bur prohibet. In 11. Meth. c. 14. utitur verbo dissuadendi, ipse o-  
ptimus interpres eorum, quæ alibi ex recepto usu Medico-  
rum implicatius proposuerat.

20. Sub

20. Sub viribus tanquam coindicantia, non  
nunquam etiam prohibentia, complectimur ætatem, tem-  
periem, anni tempus, regionem, consuetudinem, &c. cætera,  
quæ coacervat Averr. 3. collect. c. 4. Galen. 1. ad Glauc. c. 14.  
Avicen. lib. 1. F. 4. doctr. 5. c. 20. idq; de Galeni præscripto  
13. Meth. c. 16. licet aërem & habitum corporis, ætati, ma-  
gno morbo & virtuti robustæ accenseat, 4. de rat. vici. 19.  
ubi præcipue etiam ætatem puerilem negat redigi debere  
ad virtutis æstimationem, sicut & 4. Meth. 6. quando ait:  
*Magnitudinem morbi ac virium robur mittendum sanguinem indica-*  
*re, exceptis rāmen à sermone pueris: sub virium debilitate non*  
putat pueros excipi, quod sic explicat d. tex. 19. Sénex qui-  
dem non per se, quod sit annis gravis, sed propter virium imbecillitatem nus inducit.  
non fert sanguinis detractionem. At pueri, quanquam vitali facul-  
tate valent, tamen nej; ipsi missionem sanguinis ferunt, horum enim  
substantia cum propter humiditatem, tūm propter temperaturæ cali-  
ditatem prompte in vaporem abit. Non egent autem sanguinis detra-  
ctione, qui innatam à temperatura evacuationem habent. Quam-  
rationem repetit 11. Meth. c. 14. & 9. Meth. c. ult.

21. Nihilominus, si quis rationem ipsam con-  
sideret paulò diligentius, non alio deducit, quam ad viri- Pueris an sc  
canda vena.  
um æstimationem, nec tam præcisè 14. annum ætatis, in  
quo primùm liceat venam secare, ut Galenus loqui vide-  
tur 11. Meth. 14. præfinit, quanquā regulæ artis de ijs concipi  
debent, quæ fiunt ut plurimum. Præter cursum autē natu-  
ræ evenit, ut ante illam ætatem cuiquam vena tutò possit  
aperiri ob perennem defluxum substantiæ. Si tamen eve-  
niat, præcisè annorum numerum spectandum non esse,  
monet Galen. decur. rat. per sang. 13. in si. de septuagenarijs  
loquens, in quibus plus periculi metuendum propter viri-  
um majorem imbecillitatem, & 8. Meth. c. 4. non obscure  
totam rem ad virium robur refert, quod rectissimè prose-  
cutus est Celsus lib. 2. c. 10. In pueris sanguinem mitti, & in se-  
nioribus, & in gravidis quoq; malieribus, vetus non est: siquidem an-  
zi qui primam ultimam j; ætatem sustinere non posse hoc auxiliij genus

judicabant, persuaserantq; mulierem gravidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea vero usus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasq; potiores observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim, non quæ etas sit, neq; quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint.

22. Quin etiam Avenzoar filio trimulo (alij legunt septennali) venam aperuit, & hoc remedio ab imminente morte ipsum liberavit, quod non obscurè probare videtur Averr. 3. Collect. c. 4. Nam cum natura viam nobis monstret, in ardentibus & phrenitide multos puerorum utiliter judicans per hæmorrhagiam, cur minister ducē audacter non sequatur? modò indicationes omnes præsto sint, quæ venæ sectionem svadent, ut gravis morbus ex sanguinis abundantia, cum virium robore, & puerilis evacuacionis suppressione, cuius indicium licet petere ex habitu & temperie corporis una cum morbo plethorico ex suppressione genito. Huic enim ex natura puerili nihil obstat, quod impedire possit, imprimis cum Galen. puerum Epilepticum purget, *de puer. Epilept.* & purgatio non minus sit vehementis remedium, quam venæ sectio, & cum 9. Meth. c. ult. dissipationem per habitum adducēs, propter eam dicat minus in pueris exauriendum, quod non obscurè etiam elicetur ex c. 14. *de rat. cur. per sang.* & c. 8. lib. *de sect.* ubi minus detrahendum, quam plenitudo indicet, monet in pueris, & qui sint tenero habitu. Quod si minus detrahendum, Ergo aliquid, quia comparativum præsupponit positivum, ut alicubi Cajetanus.

23. Fecerat Cels. d. c. 10. mentionem etiam gravidarū & valentes tutò curari venæ sectione dixerat, quod nos iisdem rationibus evincimus, quia, si sanguis abundat, modò vires constent, nullum abortus periculum impendet, cum multæ perpetuò per uterum purgentur, nec tamen abortiantur, sed imbecilles tantum fætus gerant, ut censet Hippoc. 5. Aph. 60. Item cum gravidas medijs mensibus liceat purgare, libr. 4. Aph. 1. lib. 5. Aph. 22. Purgatio autem non tantum, quod

An gravidis  
secunda vena.

quod deorsum agat, sed quod ut plurimum, uterum simul moveat, tam propter qualitates diureticas, quam vicinitatem partium, multò plus obest, quam venæ sectio, quæ potissimum primis mensibus parum incommodi afferre potest in corpore Plethorico, quia paucō alimento contentus vivit conceptus. Unde Hippocr. ait s. Aph. 31. abortum ex secta vena potissimum contingere, si fætus grandior fuerit. Sed nec tum nimium timemus, si mulier fuerit admodum plethorica, quod est venæ sectionis indicans, quia alimentum fætui non subtrahitur. Jam enim monuit Galenus *in com. Aph.* plurimos Aphorismorum non esse universales, nisi ut plurimum, ut &c qui hunc præcedit: *Mulierem gravidam acuto morbo corripi letet.* Quid, si verò infert periculum abortus? Si nullum appareat aliud auxilium, ait Celsus, perituraq; sit, quæ laborat, nisi temeraria quoq; via fuerit adjuta, in hoc statu boni medici est ostendere, quam nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterij, quantus in hac ipsa re sit metus: Et tum demum, si exigatur, sanguinem mittere. De quo dubitari in ejusmodi re non oportet. Satius est matrem servare cum periculo fætus, quam utrumq; in certum periculum mortis præcipitem intempestivo metu destrudere.

24. Aetas igitur & uteri gestatio & si quæ sunt similia, non aliter prohibent venæ sectionem, quam quatenus deiiciunt vires, quod de ætate ex assignata ratione porrò patet. Virtus enim potissimum consistit in substantia & calido substantiali partium, *ii. Meth. c. 1. & 3.* sicut & substantiæ conservatione vires conservari scribit Galen. *9. Meth. 13.* Substantia autem puerorum dissipatur, *4. de rat. vict. com. tex. 19.* Ergo & vires, & propter virium dissipationem, in pueris à vena secanda abstinendum. Quod si offeratur puer, cui dissipatio suppressa vires non disjecerit, nec ratio supereat, cur à tām nobili præsidio arceri debeat. Recentil *Hyrudines* *an-* *orum* plurimi hyrudines in pueris adhibent, quas etiam cæ- substituenda cis hæmorrhoidibus applicant. Sed præterquam, quod san- *in pueris,* *gvincm*

guinem exugant tantum dulcem & tenuem, crassum & cor-  
ruptum, qui vel ab ipsis respuitur, vel angustum foramen  
penetrare nequit, intus relinquentes, causa non est, cur ve-  
næ sectioni præferri debeant, cum tām sit in nostra potesta-  
te parum evacuare per apertam gladio lo venam, quām si  
hyrudines apposuerimus.

*Symptoma &  
gravis morbus  
quid indicent.* 25. Sic si gravi aliquo morbo corpus obsideatur,  
qui vires prostraverit, aut eadem à violento aliquo sym-  
ptome dissolvantur, ut vigilijs nimis, dolore intenso,  
convulsione, alvi profluvio symptomatico morbis superve-  
niente, 1. ad Glauc. c. 14. in pr. si ventriculi refrigeratum, ut  
ait Averr. 3. Collect. c. 4. existat, simul ac nauseabundum &  
imbecillum, in tantum à sangvinis missione abstinentum,  
quantum vires deiciuntur, ad quarum indicantia hæc o-  
mnia referuntur, ut eleganter docet Hippocr. quando ait:  
*Alvo fluente sanginem non mittito: Nam si post venæ sectionem fluor  
perseveraverit, virtus imbecillior redditur.* Item Galenus 1. ad  
Glauc. c. 14. In convulsione tantum non mittendum, quantum mor-  
bus exigit: sed aliquid etiam accidenti relinquendum, cuius cau-  
sa sèpè sudores eveniunt, & vigiliae molestant, & vires ægri debi-  
litantur.

*Temperamen-  
tum.* 26. Ad vires itidem revocantur temperamen-  
tum & habitus corporis. Nam qui natura calidi & sicci  
sunt, ait Galen. 1. ad Glauc. c. 14. omnes facile ab integris e-  
vacuationibus offenduntur, magisq; alterantia requirunt,  
quām evacuantia, 1. ad Glauc. c. 7. nec Venerem, famem &  
inediam, unquam sine incommodo perferunt, 8. Meth. c. 2.  
propter paucitatem spirituum, sicut nec pueri aut mulie-  
res teneræ, propter substantiæ fluxibilitatem. *de rat. cur. per  
sang. c. 14.* Si enim propter dissipationem spirituum aut ab-  
stinentum est, aut parum detrahendum, multò magis pro-  
pter dissipationem substantiæ, quæ accidit calidis, humi-  
dis, ut totidem verbis docet Galenus *de cur. per sang. mis. c. 6.*  
14. 9. Meth. c. 17. 4. rat. vñt. com. tex. 19. quæ rectè imitatus  
est Fernel. 2. Meth. c. 11. Licet enim vires valeant & copia  
sangvinis

Sangvinis adsit in tali temperamento, stabiles tamen non sunt, quia facile exolvuntur, & non debemus tantum spe-  
ctare vires præsentes, sed & futuras, quas cum collapsuras  
timebat Galen. 1. ad Glauc. c. 14. in febre cum diminuto alvi  
fluore, venam tundere non audet. Frigida verò temperies  
contraindicat propter insequentem refrigerationem. de rat.  
cur, per sang. c. 14.

28. Habitus corporis densus & solidus, quia fir- Habitus cor-  
mas continet vires, nec Spiritus facile sinit evaporare, inte- poris.  
gram vacuationem sustinet sine noxa: contrà verò sese ha-  
bet mollis, humidus & diffluens, quia, præterquam quod  
imbecillus sit, valida evacuatione citò exhaeritur & dissol-  
vitur. Pingves, quia ad temperamentum vergunt frigi-  
dum, & venas exiles habent seu compressas, quæ à circum-  
fluo adipe, exhausto sanguine, facile coangustantur & sub-  
sidunt, ut & illi, qui sunt præter modum macilenti, vali-  
dam vacuationem respuunt: 1. ad Glauc 14. quanquam Ga-  
lenus 6. Ep. com. 3. tex. 29. mulieri gracillimæ ausus est ve-  
nam secare, sed cui jam octo menses, purgationes menstruæ  
suppressæ fuerant & venæ turgebant. Partibus enim semi-  
nalibus non absuntis, vires constare poterant.

29. Externum aërem ad temperiem redigit ipse Galen. 9. Meth. c. 14. inquiens: *Corporis intemperies*, quæ illo Ambiens.  
tempore fuit, quo id ægrotare cepit, quæq; ad invenienda remedia est  
utilis, ex natura, etate, consuetudine & ambiente nos aëre ortum ha-  
bet: Ambiens autem comprehendit sub se regionem, anni tem-  
pus & cœli statum, ut ibidem affirmat, & 4. Meth. c. 3. nullam  
externarum causarum inter scopos agnoscit, nisi quatenus  
recessum à naturali statu designent, &c. 8. Meth. c. ult. 9.  
Meth. c. 14. 17. II. Meth. c. 1. Aut. lib. de ren. affect. dign. c. 5. ex qui-  
bus omnibus calida & sicca constitutio, qualis incidit æsta-  
te, sub Syrio & teste Avic. in regionibus meridionalibus, da-  
mnatur, quia vires cum spiritu absunt, & per apertos po-  
ros dissipat. Frigus verò calorcm nativum, subtracto for-  
mite, magis extingvet; humiditas corpora nimis fluida &

C

diffolu-

dissolutioni obnoxia facit, ideoq; temperata probar Hipp.  
6. Aph. 47. Quibusq; venæ sectio vel purgatio cum medicamento  
convenit, his venam incidere aut pharmacum propinare Vere convenit.  
Ubi Galenus in comm. addit, Autumnum, qui & ipse Galeno  
temperatus est, sed inæqualiter. Huc trahi potest, quod  
Hippocr. 4. Aph. 5. difficiles scribit, fore purgationes per medica-  
menta, ante & sub exortum canis, quoniam inter cæteras ratio-  
nes, quod exusti humores à vehementia purgantium incen-  
dantur, & duos contrarios motus sustineat corpus, phar-  
maco trahente ad centrum, calore evocante ad superfici-  
em, etiam hanc ascribit Galen. in comm. Quod natura ob æ-  
stum imbecilla, purgatione dissolvatur. Imbecillitas autem virium  
tām prohibet purgationem, quām sectionem venæ.

Consuetudo

29. Supereft ex vulgatis indicantibus consve-  
tudo, & quæ sub nomine *Artis* addit Avicenna, exercitia.  
Maximam enim vim consuetudinis esse in rebus omnibus  
docet Hippocr. 2. Aph. 50. unde sententiam hanc traxit Celsus lib. 1. c. 3. Quod contra consuetudinem est, seu molle seu du-  
rum sit. Item præceptum illud lib. 1. c. 1. Sanam hominē oportet  
varium habere genus vitæ: modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusq; in a-  
gro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere.  
Interdum balneo, interdum aquis frigidis uti: modo ungi, modo id-  
ipsum negligere: nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: inter-  
dum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere: modo plus justo, mo-  
do non amplius assumere. Sic enim Hippocr. Ad insolita etiam fa-  
cienda mutatio; quod natura in tempore ijs insvescat, quod ad  
venæ sectionem accommodat Galenus de rat. cur. per sang.  
quando consuetis tutius secari venam scribit, & inter indi-  
cantia plerunq; consuetudinem annumerat. 8. Meth. 3. 9.  
Meth. 14. 11. Meth. c. 5. 10. Meth. c. 1.

30. Vertitur enim consuetudo in naturam, sicut  
Arist. de mem. & remin. c. 3. 7. Eth. c. 10. docet, & proinde ut na-  
tura se habet ad curationem, ita & consuetudo, nisi quod  
hoc interficit, quod consuetudo indicet tantum mediate &  
tanquam signum naturæ, sicut ipse Galenus 11. Meth. c. 5.  
ejus

ejus considerationem revocat ad temporem: & Hippocr. ait: In singulis perpende vim & speciem morbi, atque hominis naturam & agrotantis in virtus ratione consuetudinem. 2. de rat. vici: tex. 36. qui paulo ante tex. 32. vertuerat venas intempestivè & repente inanire, quia insveta molestius semper feruntur, ut in comm. illic Galenus explicat, & libr. de conservud. Exercitatio

31. Apparet, quomodo secundaria indicantia omnia redigantur ad virtutem, & eatenus indicationem de se praebant, quatenus limitant aut designant facultatum robur, quanquam alia intentione eadem posse ad causam redigi non nego. Nam calidum, humidum temperamentum venae sectionem coindicare potest, quatenus sanguine & humoribus replet vase, quod Augenius obicit Fernelio, & Fernelius ipse confitetur his verbis: *Quodcumq[ue] corpus inde humidum vocant, quod multo humore abundat in venis recondito, facillime evacuationem sustinet.* 2. Therap. c. 11. Verum quatenus facile resolvitur, siue relatum ad vires, dissuadere. Ita frigus prohibet venae sectionem, non tantum propter metum extinctionis virium, sed etiam quia humorem quasi conglaciatur, & ad fluxum ineptum reddit. Econtrario ver non tantum consentit sanguinis missioni propter moderatam temperiem, sed etiam quia fundit sanguinem & copiosiorem generat, quem in finem ante sectionem soler imperari motus, sed levis, ne sanguis agatur in furorem & effusio sisti postea non possit.

22. Cum igitur dicente Galeno 10. Meth. c. 1. Duo primi tressint primi scopi, qu'ut in febribus putridis, ita &c in alijs morbis cum causa antecedente, vel continente, agentis sanctorum indicationes praebent; *Affectus, Causa & Virtus, & gvinis,* constet venae sectionem pertinere ad remedia non curato-

C. ria, quæ

ria, quæ à morbo ipso peti solent, sed præservatoria, quæ  
à causis, quia proximus ejus effectus est evacuare sanguinem,  
nequeunt plura ejus indicantia excogitari, quam  
*Sangvis* morbum magnum vel inferens vel minitans, & virium, sive  
præsentium, sive futurarum robur, quorum ille sui ablationem  
indicat, hoc conservationem, ideoq; in tantum permittit  
sanguinem exauriri, quantum facultas non supprimitur.  
Sanguinis autem redundatis seu plethorae, & magni morbi  
definitio ex Pathologicis petenda, ut & virium facultas,  
quoniam Therapeuticæ pathologiæ cognitionem ubique  
præsupponit. Invento remedio ex legitimis scopis adi-  
cenda esset Methodica administratio, in Quantitatibus tam  
discretæ quam continuæ, Loci, Temporis & Modi deter-  
minatione consistens, sed quia prolixior foret disputatio,  
quam ut una vice expediri posset, commodiori tempori re-  
siduum reservabimus.

## Quæstiones.

*An venæ sectioni præmittenda purgatio?* N.


*An extractio Opij, hioscyami, Croci, junctis legitimis cor-  
rigentibus, quæ Laudanum vulgo vocatur, tu-  
to exhiberi possit?* A.


*Utrum Aurum verum naturale per artem possibile sit  
producere?* A.

*Utrum amor certæ alicujus personæ per philtra sine Ma-  
gia possit propinari?* N.

*Utrum Emplastra armamentaria, quæ vocantur Para-  
celso in Chir. par. virtute Physica possint agere  
in distans?* N.







38  
SIO THERA-  
TICA  
e M L 286a  
ECTIONE.

ide  
D. IOHANNI D.  
SANGVINIS  
MITTENDI  
PIS.  
am  
spicij  
ot: Max.  
Academia

urtana  
SIDE  
ARNISÆO  
& PP.

dam suscipit  
Februar.  
S GOSKY  
ius.  
Sophorum majori  
ra 7.  
oltzij exscripta  
1691.